



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)



me Deiparā, ut in eandem servitutem nunquam  
ampliùs recidam. O Sanctissima Dei, &c. fol 190.

Ad quod impetrandum: si pro redemptione  
captivorum nihil æris conferre possum,  
Mariophilis in peccato constitutis oratione  
succurrere potero.

Per tuam ô Virgo fœcunditatem ego capti-  
vus sum redemptus, per tuum partum Virgi-  
neum de morte perpetua sum ereptus, & de  
exilio miseræ in patriam beatitudinis sum  
reductus. S. Bonav. Ps. 44.

Quæstio: Cur S. Joseph non exquisiverit ex  
Virgine, quomodo cõceperit? v. Barri. 10. 1. c. 10.

## XXII. DECEMBRIS.

**B.** Adamus Ord. Cisterciensis, adhuc infans  
vixdum verba balbutire poterat, cùm  
memoriã tenere *Ave Maria* conatus, illud  
totis diebus ore & corde volvebat. Auctã  
cum annis pietate etiam noctes diebus addi-  
dit, ut suæ in Deiparam pietati faceret satis.  
Noctu templum aditurus, cùm fores clausas  
invenisset, dicto *Ave* illico patuerunt. *Conon.*  
Eadem ad cœli fores clavis est.

**B.** Adame, cui Deipara sponndit se tuarum  
rerum sedulam curam habituram, ora pro  
me eandem misericordiæ Matrem, ut salutis  
potissimùm meæ curam suscipiat, seque me-  
diam inter peccata mea & filii vindictam in-  
terponat, ne subitò præoccupatus in die mor-  
tis primò quærere incipiam spatium & lo-  
cum pœnitentiæ. O Sanctissima Dei, &c. f. 190.

Ad



Ad quod impetrandum: Si mihi optio habitandi offeratur, propius templum Marianum habitare præligam.

Hæc Virgo bona omnia nobis conciliavit, in hac & Deus homo, & homo Deus factus est. quâ quid mirabilius, quid beatius? *S. Joan. Dam. n. 2. de Aff.*

Quæstio: An ex Nazareth in Bethlehem Beatissima Virgo pedes processerit?

## XXIII. DECEMBRIS.

*S. Victoria* Virgo sorori suæ Anatoliæ nuptias persuasura, cum ex ea intelligeret, se jussam à Deipara virginitatem colere, amore Deiparæ pariter & virginitatis accensa idem præstitit, ne tamen in virginitate sterilitatis nomen haberet, 60. alias, quâ monitis, quâ Exemplo ad idem induxit. *Mayr.* Major est virginitatis, quàm conjugii fœcunditas.

*S. Victoria*, cujus invocationem in carnis tentationibus plures salutarem sunt experti, ora pro me Deiparam, ut tam contra mundi blandimenta, quàm carnis suggestiones, & inferni machinas semper referâ victoriam. Hic ejus opẽ imploro, ubi maximè ardua sunt prælia, eaque quotidiana, & rara, nisi Jesus & Maria dent victoriam. *O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Sortiar cujus potissimum hodie virtutis imitatione Mariam colere possim.

Ave spes omnium proborum, rebus adversis afflictorum, Ave peccatorum refugium, æque